



Catalogus disert.

1. do. Aug. Ernesti

1. de fide historica.
2. de difficultatibus Novi T. recte interprætandis.
3. de templo Herodis N.
4. de vanitate philosophantium eloqua.
5. de vestigijs lingua hebraica in lingua grecā.
6. de Theologie historica & dogmatica coniungendæ necessitate.
7. de libertate iudicandi in causa religione.
8. de doni linguarum natura ad illustr. 160. XVII.
9. de operis pastorum ecclæstium et heretorum ad Ep. I. 10.

2. D. J. S. Semler

10. de liberali doctoris S. S. provincia

3. M. P. F. Grauer

11. de ut Christus imago dei innervibilitate, ad 2. 10. 16. 17. 18. Hebr. 1. 3.
12. spiritus apostolorum Jesu Christi magister arguit mundum ad Ioh. xii. 8 - 11.
13. Jesus Christus, quam in contentum est, ad dicti legislator nouus perficit.

4. F. E. Hieberitz.

14. de iis qui primicias spiritus accepérunt ad Rom. viii. 2.
15. Explicatio capítul. Ad. Paul. ep. ad Rom.
16. Sigm. vac. Raumgarten.

17. de exspectatione ab hominibus in secula non obtinenda.

18. ob. ad illustrationem N. T. ex prof.

5. C. A. Wederlein

19. de vero usq; atque abusa rationis humanae in rebus divinis.

7. D. Gottf. Löff.

20. de doni linguarum indole

21. Sententia iudaorum de messia

de Euro ejus regno.

8. Franc. Volckmar Reinhard

22. utrum de audictum de miraculis requiriatur invenire naturæ accurate cognitio.

q. c. 14. 5. Wernsdorf.

23. de amen liturgico.

24. iudicium de nonnullis dubitationibus contra rel. Christi.

10. J. Boni. Koppe

25. quicq; sit & existens tunc Episcopus et quis est Rector 2 Thess. II. 3 - 13.

11. M. L. C. Loeber

26. vindicia iustitia diuina in morte Annae ad Etat. I. 1 - 11.

12. F. Andre. Stroth.

27. de vera ueritate 1. Pet. IV. 3.

13. D. C. C. Tittmann

28. Jesus deus & seruator in ev. Joann. de monstratu.

14. D. C. G. Robert.

29. causa belli Ieronimiti aduersus lanae gesti. Resunt multa.

15. C. D. Pecor.

30. specimen historie bibliothecarum alexandrinarum.

16. C. L. Gerling

31. doctrina de summa atq; altiora Jesu Christi dignitate.

Jouanne.

Nr. 129.  
2.

*22*  
VTRVM

AD IUDICIVM DE MIRACVLIS  
REQVIRATVR VNIVERSAE NATVRAE  
ACCVRATA COGNITIO

*23*

DISPVVTATIO PHILOSOPHICA

QVAM

PRAESIDE

FRANCISCO VOLKMAR  
REINHARD

AA. MAG. THEOL. BACCAL. ET ORD. PHIL. VITEB.  
ADIVNCTO ORDINAR.

AD D. XXX. SEPTEMBR. A. C. CIICCLXXXIX

PVBLICE DEFENDET

FRANCISCVS IACOBVS THEODORVS  
MEYER

LVBECKENSIS, THEOL. CVLTOR.

*VITEBERGAE,*

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

55

IM

ALBANIUS  
CENSUS  
CENSUS

ALBANIUS

VIRO

AMPLISSIMO IVRECONSULTISSIMO DOCTISSIMO  
JOHANNES CASPAR AR  
LINDBERG

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI CELEBERRIMO ET  
STIPENDII SCHABELLIANI EPHORO

VIRO

SVMME REVERENDO DOCTISSIMO  
AMPLISSIMO  
HENRICO VON DER HVIDE  
AD AEDEM MARIAE PASTORI OPTIME  
MERITO  
PATRONO INPRIMIS DEVENERANDO

NEC NON  
VIRO

AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO  
FRANCISCO BERNHARDO  
RODDE  
REIPUBLICAE LVBECKENSIS SENATORI PRIMARIO  
ET STIPENDII SCHABELLIANI EPHORO

A 2

AERO

VIRIS

QVORVM ET MVNIFICENTIAE

ET

CONSILIIS ATQVE AVCTORITATI

PLVRIMVM DEBEO

PII ET GRATI ANIMI SIGNIFICANDI

CAYSSA

FRANCISCVS IACOBVS THEODORVS

MEYER.



VTRVM AD IVDICIVM DE MIRACVLIS  
REQVIRATVR VNIVERSAE NATVRAE  
ACCVRATA COGNITIO

*C*ox quo tempore paullo diligentius quaerere coepi, quid sit de veritate Christianae religionis iudicandum, ac tribuendum argumentis iis, quae vulgo solent proferri; et si videbam, maximam vim eorum disputationem habere, qui rebus a Domino gestis vtantur, quas miracula appellat vulgaris consuetudo: semper tamen aliqua ex parte laborare mihi visa est haec ceteroquin amplissima argumentatio. Ego enim sic existimabam, si sint eae res, quas Iesum gessisse accepimus, vera miracula, satis defensam esse religionem, quoni-

A 3

am.



am miraculum quoduis sit aliqua Dei ipsius, Iesum commen-  
dantis generi humano, vox: sed illa ipsa disputatio, quid sit  
miraculum, et quomodo possit ab euentis iis distingui, quae  
naturae vi debentur, tam ambigua mihi semper visa est, vt  
non satis intelligerem, quid iis respondendum sit, qui euen-  
tus illos mirabiles a viribus naturae occultis repeatant, negent-  
que, posse nos, quid natura efficere possit, satis definire.  
Nec inueni adhuc, qui hunc scrupulum ex animo prorsus  
euelleret; nam quae vulgo hac de re disputantur, ea, vehe-  
menter vereor, vt rem confiant. Molestior autem is scrupulus  
nuper mihi fuit, animumque vehementius vffit, cum  
apud commilitones esset ea de re disputandum in schola, ac  
demonstrandum, quam vim habeat tritum illud a miraculis Do-  
mini ductum pro religionis Christianae veritate argumentum.  
Cum igitur denuo querere coepisse de re, quam antea sac-  
pius considerasset, et inueniensem nonnulla, in quibus animus  
sensim conquiesceret: decreui, opportunatatem scribendi na-  
ctus, quaedam de hoc arguento differere. Fuerunt autem  
duo, quae me mouerent, vt hoc consilium caperem. Ac  
primo quidem, etsi summa ingenia hunc de miraculis locum  
perpurgarunt, vt nuper demum S. R. LESS<sup>a</sup>) et FARMER,  
Anglus, Vir Cel.<sup>b</sup>); hoc ipsum tamen, de quo nunc maxi-  
me

a) In libro praestantissimo: *Wahrheit der christlichen Religion.* Götting.  
1776.

b) Librum Farmeri conuertit Bamberger, Vir Cel. Inscrifitur autem: *Ab-  
handlung über die Wunderwerke.* Berl. 1777.

me quaerimus, utrum omnino possimus iudicare, aliquem  
 euentum proficisci a vi diuina, nec effici viribus naturae, non  
 dum ita expositum est, ut disputatione non amplius indigeat.  
 Deinde solet fere nostris temporibus hoc, a miraculis Domini  
 ductum, argumentum contemni non modo ab his, qui, si  
 fieri posset, omnem delerent religionem Christianam; verum  
 etiam ab eius patronis. Ita enim passim differitur in libris  
 vernaculis, iis praesertim, qui iudicia de libris nouis contem-  
 nent, ut nativa religionis Christianae praestantia, in praec-  
 ceptis morum maxime conspicua, laudetur vnicce tanquam  
 signum certissimum diuinae originis; miracula, de quibus  
 anceps et obscura disputatio sit, negligantur. Quae opinio  
 vel propriea repudianda est, quod satis constat, Dominum  
 ipsum omnia tribuisse rebus a se gestis, et auctoritatem suam  
 omnem miraculis firmasse. Quamquam enim saepius expo-  
 nit singularem doctrinæ suaे praestantiam, illud tamen, de  
 quo maxime dubitabant Iudei, utrum a Deo proficiscantur  
 ipsius placita, miraculis demonstrat. Quia in re apostolos Do-  
 minum imitatos esse, quis nescit <sup>1)</sup>? Arcem igitur religionis  
 Christianae defendere videntur, qui hoc argumentum illu-  
 strant et vindicant. Putauimus itaque, nos non omnem ope-  
 ram perdituros esse, si difficultatem aliquam, qua premitus  
 haec argumentatio, vel tollamus ipsi, vel, si id fieri non  
 possit per imbecillitatem ingenii, doctiorum studia prouoce-

A 4

mus,

<sup>1)</sup> Bene hac de re agit Farmer, in libro, quem supra laudauimus pag  
 320. sqq.



mus, ut haec nostra emendent, et rem omnem accuratius pertequantur. Erit autem hic libellus ita descriptus, ut primo quidem ostendamus, quomodo disputare soleant, qui negent, posse nos, quid sit miraculum, iudicare, ut appearat, quid sit, de quo quaeratur; deinde notionem miraculi copiosius illustrabimus, ne nominis ambiguitas querentes in errorem inducat; docebimus porro, definiri ab hominibus posse, qui euentus sint miracula, ac temere postulari ab iis, qui de prodigiis iudicare velint, omnium rerum legumque naturae absolutam cognitionem; demonstrabimus denique, si vel maxime, quid sit miraculum, dicere non possemus, firmum tamen esse, quod ab iis ducatur pro autoritate hominum, diuinitus missorum, argumentum.

Solent igitur ii, quibus suspecta videtur haec argumentatio, negare, posse nos, quid sit miraculum, iudicare. Etenim cum non ea mirabilia putanda sint, quae natura efficiat, sed prodigium quodvis proficiet debeat ab ipsius Dei vi, qui oratores suos publice commendet diuinis operibus, et auctoritatem ipsis conciliet: neminem profecto, arbitrantur, definire posse, qui euentus diuini habendi sint, quiae naturae viribus producantur, nisi qui stulta arrogantia tumens, animi humani imbecillitatem obliuiscatur. Nam natura cum tam late pateat, ut cogitando complecti eam et assequi nemo possit, quis dixerit, quid ab ea productum sit, nec ne? Multa nos latere, aiunt, multas vires naturae subducere sese contemplantium industriae. Crescere fere quotidie rerum naturalium cognitionem

tionem; quae olim mirabilia visa sint, et ipsius Dei efficaciam  
tribuenda; ea, quomodo natura efficiat, nunc non ignorari.  
Spem esse, fore, ut, quid natura possit, indies rectius per-  
spiciatur, et virorum doctorum laboribus augeatur hacc vti-  
lissima rerum, quas mundus complectatur, cognitio. Iam  
quis affirmare ausit, ea, quae nos diuina vi effecta putemus,  
etiam posterorum iudicio miracula fore? Quis non potius spe-  
ret, imo optet, ut posteris id contingat, quod nobis conti-  
gerit? Nos ridere veterum superstitionem, quae prodigia pro-  
curauerit, et supplicationem omnibus Deis indixerit, cum  
nuntiatum esset, sanguine pluisse, botium esse locutum, sta-  
gnum cruentum esse visum<sup>2)</sup>). Indignari nos, cum legamus,  
quot miraculis olim decepserit maiores nostros monachorum  
astutia, qui, quo magis crederentur facta prodigia a simpli-  
cibus et religiosis hominibus, eo plura finxerint. Iam quis  
negauerit, aiunt, posteros forsitan eodem modo miratuos  
aliquando nostram credulitatem, qui miracula habuerimus  
euentus, naturae viribus effectos. Cum igitur nemo arro-  
gare sibi possit hoc, se nosse leges naturae omnes, cognitas  
habere rerum omnium vires, perspicere denique infinitam  
propemodum mundi compagem: consequi existimant, ut nec  
dicere quisquam possit, quos euentus natura gignat, quos vis  
diuina efficiat. Si itaque miracula aliquam vim habere de-  
beant ad demonstrandam hominis, cuiuscumque demum, au-

<sup>2)</sup> Vid. *Liuinus* l. XXIV. c. 10.



ctoritatem diuinam: Deum ipsum, qui solus hanc rerum uniuersitatem nouerit totam, nouo debere miraculo declarare, qui euentus sint a se effecti, ac vires naturae superent. Sed cum nouum quodus miraculum sit, eamdem ob causam, de novo firmandum alio, nec possit miraculorum cogitari infinita series: effici putant hoc, ut Deus aut nunquam possit miracula edere, aut, si semel edat, nunquam edendi finem facere. Iam cum *hoc* manifeste falsum sit, illud sumendum censem. Vnde sponte consequitur, miracula non esse signa agentis Dei, et oratores commendantis suos, certe argumento, a miraculis ducto, non moueri eos, qui, cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo turpis sit, maxime in hac caussa, tam obscura, vereantur, ne temere vel falsae rei, vel non satis cognitae assentiantur.

Tollunt profecto, qui sic disputant, miraculorum vim omnem, quae tum demum sunt manifesta oratoris diuini, ad homines hispsi, commendatio, cum liquido constat, ea proficiunt a Deo: quod a nobis si iudicari non potest, nec miracula nos mouere debent. Concedunt quidem, qui sic miraculis vim probandi omnem eripiunt, posse Deum, si ipsi ita videatur, mirabili modo agere: vnde iam non de eo disputandum est, *vtrum omnino esse possint miracula;* qui locus etiam ab aliis occupatus est, ac perractatus egregie. Sed de eo dubitant: *vtrum velit Deus, ac propter hominum imbecillitatem possit prodigia edere, quibus propterea nihil effici videatur, quod spectantibus nunquam satis constet, qui esse*

*ctus*

Atus naturae vires superent. Ut igitur pateat, quid tribuendum sit huic disputationi, ante omnia videtur perspicue docendum, quam vim ii, qui miraculis aliquid tribuunt, huic nomini non tam subiiciant, quam, si caute philosophari velint, subiucere debeant. Ancipitem enim et obscuram hanc omnem de miraculis quaestione fecit philosophorum in definiendo inconstantia ac temeritas: solet enim fere quisque aliam vocabulo vim tribuere, ac deinde suo modo, quid inde fluat, docere; qua in re imprimis molestum est hoc, quod plurimi fere aberrarunt prorsus ab ea potestate, quam ii ipsi, qui miracula ediderunt, nomini subiecere. Neglecto enim vsu, qui apud veteres dominatur, temere excogitarunt notiones, placitis suis reliquis accommodatas quidem illas, sed abhorrentes a consuetudine veterum. Ne igitur eadem ambiguitate laboret et nostra disputatio, paullo altius videtur repetenda, et explicanda distincte miraculi notio. Qua in re ita versabimur, vt primo, quid sit miraculum, et esse debet, ex ipsa mundi natura et attributis diuinis eliciamus; deinde videamus, vtrum notio, quam inuenerimus, ea sit, quae vsu linguae firmetur.

Ac primo quidem manifestum est, hanc rerum vniuersitatem et omnes mundi partes ita esse a summo opifice constitutas ab initio, et omni tempore administrari, vt connexa inter se omnia et apta sint, ac legibus quibusdam perpetuis, tamquam vinculis, contineantur. Quis enim est, qui nesciat caeli certos motus, astrorum aequabiles impetus, et anni-



uersarias' conuersiones? quis ignorat temporum statas vicissitudines, telluris in ferendis frugibus benignam vbertatem, corporum omnium ad certas leges peractos motus? quis denique tam rudis est, quin sentiat, corporum singulorum coagmentationem, incrementa, dissolutionem habere certum ordinem ac modum; omnem vero materiam, e qua concretus sit atque compositus hic terrarum orbis, tam sapienter diuidi, vt vetustiora et aetate detrita corpora plantarum, arborum, animalium sensim intereant ac dissoluantur, e quorum interitu et quasi ruinis existat noua laetiorque progenies, noua pulcritudine nouisque viribus excellens: atque haec omnia fieri ad normam statam, quam nunquam migrat natura? Nec animaduertitur tantum haec apta et ad sempiternas leges exacta rerum omnium consensio in ea mundi parte, quae *corporum* innumerabili varietate constat: sed *mentes* etiam habent suas leges, quibus iunguntur corporibus, ad quas sentiunt, iudicant, voluptatem percipiunt, doloribus cruciantur. Ac bestiarum quidem varia genera ita condita sunt, vt res extra se positas, suo quodque modo, percipiant, noxia fugiant, pastum varie, exhibitis etiam artibus quibusdam, querant, proliis curam agant, et in his omnibus ordinem modumque certum, a natura praescriptum, sequantur. Eosdem fere imperius etiam humano generi natura tribuit, hominumque corpora conformauit ad leges certas, e quibus pendet conseruatio generis ac propagatio. Sed sapientissime finxit prouidus mundi auctor eam hominis partem, qua reliquis animantibus praefiat,

praefstat, mentem et animum. Neque enim ita erramus incerti, ac vagamur, vt ad quascumque opiniones temere delati fuerimus, ad eas, tamquam scopulos, adhaerescamus: sed sequimur etiam in cogitando, iudicando, deliberando, cernenda denique et indaganda veritate aliquam normam, omnibus communem: vnde nec appetere, optare, decernere animus potest temere, sed sequitur notiones suas et quedam momenta. Hinc sit, vt iniicitiam et errores fugiamus; verum lectemus ac probemus; hinc nec temere assentimur, sed omnis assensio efficitur argumentis, cum animus claris veri notis mouetur ac tangitur. Hunc ordinem, hanc aptam rerum omnium conſenſionem, sapientissime constitutam, nec opifex ipſe turbat; quae si tolleretur saepius ac peruerteretur, non modo periret admirabilis mundi pulcritudo, sed eripetur etiam mentibus omnibus, maxime ingenuis, ea regula, quam in cognoscendo et appetendo vnicē sequuntur, et, qua sublata, omnis euangeliceret veri cognitio, interiret omnis felicitas \*).

Iam etſi haec mundi compages, eiusque incomparabilis pulcritudo ſatis manifeſte loquitur, eſſe Deum, qui haec

B 3 omnia

\* Qualis conſequeretur rerum omnium perturbatio, fi ſaepius violarentur leges eae, quibus cursus, quem dicunt, naturae conſtitutus eſt, diſci potest et fabulis poetarum, in primis eorum, qui rebus humanis immiſcent geniorum praefigias, et *Sylpharum*, *Gnomarumque*, quos excogitauit recentior aetas, male fedulam industriam. Talia fuit, vt iam alios scriptores mittam, monstra, quae Shakelpearius paſſim fingit, veluti in fabula, quae inſcribitur: *Sommernachtſtraum*.



omnia constituerit et regat, et qui sit ab hominibus colendus: probabile tamen est, eumdem generis humani opificem ac patrem hominibus, quos tot ac tantis beneficiis auxerit, clarius innescere velle; praeferunt cum id flagitare videatur generis humani conditio. Sed si vult Deus uberior docere genus humanum, earumque rerum cognitione augere, quas non potest per indolem mundi patefacere: non nisi duo sunt, quibus id effici possit, modi. Ac primo quidem Deus *singulari quadam vi rerum et consiliorum*, quae nosse debet genus humanum, *notiones efficere potest in singularum hominum animis*, et neglectis legibus iis, ad quas vulgo solent homines cognoscere, iudicare, credere, noua quadam et extraordinaria ratione eos erudire. Sed quis non videt, oriri, si hanc viam sequatur Deus, ingentem rerum omnium perturbationem; abrogari, ad quas nostram cognitionem exigere soleamus, regulas veri, incertasque fieri; aperiri ludibriis phantasiae et insanorum hominum somniis fenestrarum; obtrudi denique, etiam inuitis, eam scientiam, quam Deus suppeditet, et assensum omnem vi extorqueri. Sequenda igitur erit altera via. Rerum enim, de quibus certius fieri vult Deus genus humanum, notiones, sufficit, si vi quadam Dei singulari producantur in animis paucorum, quibus Deus tanquam oratoribus ad reliquos vtatur. In hoc enim quamquam inest aliquis a statis legibus discessus, earum tamen, cum raro fiat et in paucissimis, nec constantiam tollit, nec utilitatem minuit. Nam ne apud reliquos homines hae le-

ges

leges mutentur, vel impostorum fraudibus pateat genus hum-  
manum: debet Deus, quos oratores suos constituere vult at-  
que interpres, eos manifestis signis ac documentis ita com-  
mendare hominibus reliquis, ut luculenter pateat, fidem ipsis  
habendam esse. Nam cum istae leges, quas menti humanae  
scripsit ipse Deus, hoc in primis praecipient, nihil temere cre-  
dendum, nulli rei assentiendum esse, nisi quae habeat illustres  
veri notas: in hac profecto causa, iure quisque suo, luculenta  
argumenta postulare potest: verendum enim est, ne temere  
assentientes aut impia fraude, aut anili superstitione obligen-  
tur. Nec sufficit sola doctrinae praestantia; nam cum  
noua proponere debeant oratores diuini, quorum non possit  
ex huius mundi contemplatione ratio reddi: sola placitorum  
praestantia probat quidem nouae doctrinae utilitatem, origi-  
nem diuinam non probat. Si vero ea etiam proponantur ab  
his doctoribus, quae assequi non possit humana mens, et in-  
credibilia videantur: quis tandem, etiam si utilissima fuerit  
noua doctrina, fidem ei habuerit, nisi sit singulari modo a  
Deo commendata, firmataque ipsius luculento testimonio?  
Igitur facile intelligitur, Deum, nisi per mundum, patefacere  
se se humano generi aut proرسus non posse; aut si possit, fieri  
debere a legibus naturae aliquem discessum, quo declaretur,  
harum legum auctorem ipsum efficacem esse. Iam cum ista  
aberratio fieri non possit, ut supra vidimus, ab ipsis legibus,  
quae omnis cognitionis humanae originem per sensus et iu-  
dicandi vim definit ac regunt: in eo enim inesset non ex-

ceptio

\* \* \*

ceptio quaedam, sed ingens legum grauissimarum perturbatio,  
quae ipsum arbitrium humanum tolleret: sequitur, ut ab iis  
legibus discedendum sit, quibus mundi pars ea, quae corpori-  
bus constat, continetur. Nam quae sic oriuntur mutatio-  
nes, cum manifestae sunt, cadunt enim sub sensum, nec vim  
inferunt spectantium arbitrio; tum auctoratem eorum, quo-  
rum causa sunt, satis confirmant. Hinc intelligitur, quae  
sit miraculi vera vis et natura; cernitur enim in exceptione ea-  
rum legum naturae, quibus corpora reguntur, ad firmam-  
dam alicuius oratoris diuini auctoritatem facta. Sed haec  
notio quoniam nondum exprimit omnem miraculi naturam:  
pergendum est in explicandis iis, quae inesse debent in pro-  
digio quousque, si doctori, diuinitus misso, prodeesse debeat.

Cum igitur munus eorum, qui ad erudiendum genus hu-  
manum a Deo designati sunt, late patet, et grauissimum sit:  
debet profecto iis argumentis muniri eorum auctoritas, quae  
sunt *omnibus hominibus accommodata*, et ab *omnibus* intelligi  
possint. Et cum, ut hactenus docuimus, illa documenta,  
quibus commendantur oratores diuini, sint exceptions le-  
gum naturae, sensibus subiectae: hae debent ita comparatae  
esse, ut iudicari satis ab omnibus possint, nec requiratur spe-  
cantium acumen aliquod vel ingens eruditio. Nam et doctis,  
multoque usi subactis, et rudibus atque imperitis consulen-  
dum est in hac causa, cum intersit profecto omnium, scire,  
vtrum decretis eius, qui diuinitus concessum generis humani  
doctorem se iactiter, tribuendum aliquid sit, nec ne. Ex his

03929

con-

consequitur primo quidem hoc, vt miracula quaevis fieri de-  
 beant *in rebus manifestis*, ac discedere ab iis naturae legibus,  
*quae omnibus hominibus satis cognitae sint atque perspe-  
 ctiae.* Sic enim cum excitandi sunt hominum omnium animi,  
 oculique conuertendi ad vatem diuinitus missum; tum effici-  
 endum hoc est, vt iudicare de eius fide, quicunque voluerint,  
 satis tuto possint. Vnde nec fugere debet explorantium con-  
 spectum diuinus interpres, sed prodigia a Deo publice petere,  
 quae sint fraudis malarumque artium suspicione expertia; vt  
 iis, apud quos talia fiunt, oculis tantum ac sensibus opus sit,  
 ad rem omnem accurate percipiendam. Deinde etiam hoc  
 facile efficitur, *nullis adminiculis, remediis, artibus, ma-  
 chinationibus uti debere in producendis his mutationibus*  
 oratorem diuinum, quae videri possint aliquam ad gignendum  
 miraculum habere vim. Sic enim iis, qui iudicare volunt,  
 imperitoribus certe, eripitur iudicandi potestas, et suspecta  
 fiunt omnia, cum non satis intelligi possit, vtrum, quae pro-  
 ducantur, sint remediiorum cuidam vi occultae tribuenda et  
 edentis artificio, an efficacie Dei. Utatur itaque diuinus ora-  
 tor, si quibus velit, iis remedii, quorum vis omnis sit satis  
 perspecta, vt appareat, non adminiculis deberi cumentum, sed  
 commendanti legatum suum Deo. Iam accuratius, quid sit  
 miraculum, intelligi potest; positum enim est *in exceptione*  
*manifestarum legum naturae sensibus subiectae, quae insu-  
 oratoris diuni fit manifeste ad docendam huius auctor-  
 atem.*

C

Sed



Sed sunt profecto ambigua haec signa et documenta omnia, si sint forsitan mentes et naturae aliae, inimicac Deo, quarum arbitrio ac vi possint mutari leges eae, quibus regitur huius mundi compages in sensu incurrens. Etenim cum nesciamus, quanta sit istarum mentium vis, et quos fines habeat: ne ipsa quidem prodigii magnitudo satis declarat originem eius diuinam. Nec potest in ea re iudicium nostrum regere oratoris, qui prodigia edit, doctrina; nam haec ipsa, qualis sit, e miraculis iudicandum est, nec, cum auctoritatem suam omnem a prodigiis accipiat, potest regula esse, ad quam horum natura examinetur, praesertim si forte placita contineat sublimiora et obscura, quae non satis assequatur mentis humanae imbecillitas. Etsi enim *facilius* creditur, eum esse interpretem diuinum, qui doctrinam proponat, menti humanae accommodatam, ac Deo dignam: tamen, cum illud ipsum, quid sit humanae menti consentaneum, ac Deo dignum, sit dubitationibus obnoxium, nec ab omnibus eodem modo iudicetur, doctrina non potest norma esse, ad quam miracula exigantur.<sup>f)</sup> Manifeste igitur orbem in demonstrando pertunt, qui miracula iudicant ex indole doctrinae, huius originem diuinam ex illis probant. Efficitur itaque, ut Deus miraculis aut proorsus non possit oratorum suorum auctorita-

tem

f) Aliter iudicandum esse, si iam adgit miraculis diuinis firmata religio, facile intelligitur. Haec enim potest, si noui existant prodigiorum auctores, quoniam Deus secum non pugnat, norma esse, quam in iudicandis horum miraculis sequamur.

tem stabilire; aut si velit his documentis vti, non debeat permettere, vt, quas ipse scriperit et sanctissime conseruet, naturae leges, eas, ipso inuitio, possit violare mens alia quaecumque demun. Quaevis itaque exceptio legum naturae Deum auctorem habet, et ab eo repentina est; vnde ad demonstrandam alicuius interpretis diuini auctoritatem iam sufficit, si liquido possit ostendi, eum miracula edidisse.<sup>g)</sup> Ex his omnibus intelligitur, quanam in re posita sit miraculorum vera natura, et quomodo sit perfecta definitione declaranda, videntur enim euentus esse, sensibus subiecti, quorum indoles cernatur in quadam exceptione legum naturae vulgo notarum, eo consilio a Deo effecti, ut muniret interpretum suorum apud homines auctoritatem.

Quae hactenus de vera miraculorum indole disputauimus, ac demonstrauimus ex ipsa rerum natura: ea mirifice confirmantur vsu, qui dominatur apud veteres, et eos ipsos, qui prodigia edidisse perhibentur. Quicquid enim cum apud scriptores humanos, tum in libris sacris hac de re occurrit, ad hoc reddit, miracula esse euentus, sub sensum cadentes, et abhorrentes a legibus naturae iis, quae vulgo notae sint. Vnde etiam nomina ipsa solent vim habere, quae eo pertineat. Possimus ad ornandam hanc causam facile congerere ingenitem locorum farraginem, nisi res esset in promtu. Igitur

C 2

paucā

g) Etiam libros sacros hac de re ita praecipere, latius docet Farmer in libro quem iam aliquoties excitauiimus, pag. 317. sqq.



pauca tantum delibabimus. Atque Hebraci quidem vulgo vtuntur in hac caufa vocabulo כָּנָה, quod omnino quidem signum quoduis notat. Sic כָּנָה passim sunt astra,<sup>1)</sup> quia agricolis, nautis, aliis signo sunt: vti et Graeci scriptores nomine σῆμα sic vtuntur: *Aratus* quidem de astris eodem modo:

ἄστρος γὰρ τάχει σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστηρίξεν.

Sed deinde ad prodigia transfertur Hebraicum כָּנָה, quae hoc nomine non possent appellari, nisi sensibus subiecta, et hominibus documento essent, aliquid proficiisci a Deo. Hinc in libris sacris centies de euentis mirabilibus dicitur; vt de miraculis a Moze in Aegypto editis,<sup>2)</sup> quae abhorreabant profecto a legibus naturae, et sub sensum cadebant omnia. Atque eodem prolsus modo etiam in Corano legitur nomen simile كَنْهٌ.<sup>3)</sup> Etiam Graeci eam translationem amant in nominibus σῆμα et σημέιον. Homerus quidem de portento, omnium oculos in se conuertente:<sup>4)</sup>

Ἐνθὲ ἡφάσιν μέγα σῆμα —

Et Plato aliquo loco<sup>5)</sup> negat, *Deum decipere homines, οὔτε κατὰ Φαντασίας, οὔτε κατὰ λόγους, οὔτε κατὰ σημάνων ποιεῖ.*

1) *Genes.* I. 14.

2) *Exod.* IV. 8. VII. 3. cet.

3) Veluti *Syr.* II. 72. XXVI. 4. XXIX. 50. et alibi saepe. Ad manus autem mihi est editio *Marracci*.

4) II. l. II. v. 308.

5) *De Republ.* I. II. pag. 607. ed. Fic.

*ποιηταῖς* — Quem vsum, quis nescit, etiam in novo testamento dominari, vbi de miraculis saepissime dicitur nomen *σημεῖον*,<sup>1)</sup> more interpretum Alexandrinorum, qui hoc vocabulo translustre Hebraicum *תְּוִזֵּחַ*. Reliquos scriptores Graecos iam praetermitto. — Alterum nomen, quo Hebrei vtuntur, cum de miraculis differunt, est *τούρα*, quod saepe cum vocabulo *תְּוִזֵּחַ* coniunctum legitur,<sup>2)</sup> ac de quauis re dicitur, quae a consuetudine vulgari abhorret, et habet aliquid, quod homines in admirationem rapiat. Probabilis est *Schultensii* de origine nominis sententia,<sup>3)</sup> qui a verbo *אָפֵת*, *inuertit*, *permutauit* ducendum censem, vnde apud Arabes *أَفْتَنْ* prodigium est. Hoc consentit cum ea potestate, quam ei subiecimus. Dicitur enim interdum de *hominibus*, quorum mores, quoniam a consuetudine vulgari alieni sunt, non sine admiratione ab aliis obseruantur; sic pasim apud prophetas Hebraeos legitur,<sup>4)</sup> et Cicero aliquo loco<sup>5)</sup> sic dixisse videtur Graecum *τέρας*. Saepius de *rebus et euentis mirabilibus* usurpatur, quibusunque demum, ut vocabulum *τέρας* apud scriptores Graecos; hoc enim, ut

C 3

versio

1) *Conf. Marth.* XII. 38. 39. *Marc.* XVI. 17. 18. *Aitor.* IV. 30.

2) *Theoff.* II. 9. cet.

3) Vid. *Exod.* VII. 3. *Psalm.* LXXVIII. 43. cet.

4) In *Claue* pag. 243.

5) Vid. *Ies.* VIII. 18. *Ezech.* XII. 6. II. *Cap.* XXIV. 24.

r) Ad *Attic.* I. VIII. ep. 9, circa fin.



versio Alexandrina docet, cum Hebraico קָרְבָּן comparandum est. Hesiodus de orco <sup>1)</sup>

— δενόν τε νοῦς αἰγαλοῖσι θεοῖς

τέρπον τέρπεις

et Homerus de portento <sup>2)</sup>

ἥμεν μὲν τὸδε ἐφηνε τέρπεις μέγα μητέρα Ζεὺς.

Sed tempus perderem et operam, si in afferendis locis copiosus essem, cum hic vñus late dominetur etiam apud reliquos scriptores Graecos et noui testamenti auctores. Apud Latinos sic usurpantur prodigia, monstra, portenta, miracula, ostenta, quae omnia cernuntur in rebus sensus hominum, eorumque admirationem, metum, curas moventibus. Quae omnia cum sint in promtu, non egent yberiori disputatione <sup>3)</sup> — Supereft Hebraicum נָלָן, quod notat ea, quae vim humanam superare videntur, ac propterea regnare legibus naturae notis. <sup>4)</sup> Alexandrini interpretes passim vertunt Θαυμάσια, quod consentit cum vñu apud scri-

ptores

<sup>1)</sup> Theogon. v. 743. 744.

<sup>2)</sup> Iliad. I. II. v. 224.

<sup>3)</sup> Vid. Livius I. XXIV. 10. tot. Copiosus etiam alibi est in memorandis his rebus. Sic etiam Ovidius, qui saepe nomen miraculi usurpat; vid. Metam. I. III. v. 673. et VII. v. 294. vbi miracula monstri canit; etiam I. XII. 175. cet. Atque sic centies apud scriptores reliquos. Inprimis legendi sunt Ciceronis de divinatione libri, in quibus, quam potestate in veteres his nominibus subiecerint, accurate docetur.

<sup>4)</sup> Vid. Exod. XV. 11. Psalm. LXXVII. 15. et ea, quae Schultensius disputat ad Prou. XXX. 18. 19. pag. 463. 1qq.

ptores Graecos. Nam Θύμα, et, quae inde ducuntur, nomina dicuntur omnino de rebus abhorrentibus ab vsu vulgari, ac superantibus sere vim humanam. Sic Herodotus illam Arionis mirabilem fugam Θύμα μέγισον appellat <sup>2)</sup>), qui usus etiam dominatur in verbis Θυματισθεν <sup>2)</sup>), Θυματοποιην, Θυματεγην. Sed ne in re manifesta simus nimis copiosi: fatis, puto, vel ex his intelligi, nomina ea, quae de miraculis legantur apud veteres, ita esse comparata omnia, ut eventus indicent, hominum sensibus subiectos, et a legibus naturae vulgo notis alienos.

Ex his, quae hactenus disputauit, consequuntur nonnulla, quae, quoniam ad hanc caussam pertinent, breuiter expoundenda sunt. Ac primo quidem manifestum est, *philosophos recentiores in describenda vi ac notione miraculi plerumque aberrasse prorsus a mente et confuetudine veterum*. Etenim apud nos multo latius patet haec notio, ac dicitur omnino de quauis efficacia Dei extraordinaria, ea etiam, quae ad animos hominum, et res alias pertineat, quas sola mente cernimus. Sed ut in omni philosophia facillime erratur ab iis, qui neglecta natura et experientia, temere suas opiniones sequuntur, et pro arbitrio formant rerum notiones: ita hoc ipsum, quod in definienda notione miraculi nulla ratio habita est usus linguae apud veteres scriptores, ambiguam fecit omnem de miraculis disputationem, et infinitis quaestioni-  
bus

2) Lib. I. pag. 4. ed. Bas.

2) Conf. Xenophon in sympos. Cap. II. 1. VII. 2.

bus locum dedit, quae vim argumentationis, a miraculis du-  
ctae, vehementer frangerent. Teneamus igitur in hac causa  
eam vocabuli potestatem, quam supra posuimus, nec obtru-  
damus iis, qui in miraculis suam auctoritatem confirmarunt,  
eam miraculi notionem, quam, cum sit ab otiosis hominibus  
in scholis excogitata, ipsi nunquam habuere — Deinde cum  
quoduis prodigium sit exceptio earum legum, quibus conti-  
netur campages huius mundi sensibus hominum subiecta: fa-  
cile est ad intelligendum, quam vani sint eorum clamores,  
qui professi sunt, se, si quod miraculum viderent, adductum  
iri, vt credant, esse duo Numina, quorum alterum leges  
perfringat, ab altero latas. *Negue enim secum pugnat Deus,*  
*cum miraculum contingit.* Sed quod in omnibus legi-  
bus fieri debet, vt, cum tempora postulent, nec omnibus  
possit simul satisfieri, ab iis, quae leuiores videantur, disce-  
datur, grauiores intactae seruentur: id etiam in hac causa  
accidit. Etenim quoniam mentes sunt arctissimo vinculo  
cum corporibus coniunctae; non tolluntur, cum prodigium  
editur, naturae leges, sed ita explicantur et conciliantur,  
vti postulat ista coniunctio. Et cum, si Deus humano ge-  
neri aliquid patescere voluerit, quod non possit e contemplatione  
mundi hauriri, utrumque legum genus, quorum al-  
terum ad mentes pertinet, ad corpora alterum, non possit in-  
tactum manere: exceptio fit ibi, vbi minima oritur perturba-  
tio; mutantur corpora, ne violentur leges multo grauiores,  
quibus reguntur iudicia, appetitus, decreta mentium. Tan-  
tum

tum igitur abest, vt prodigium sit signum pugnantis secum  
 Dei, vt haec sapientissima naturae administratio, legumque  
 pugnantium conciliatio doceat, praeter Deum, qui ab initio  
 omnia constituerit et omni tempore regat, prodigium efficere  
 posse neminem. — Sed ex iis, quae supra obseruauimus, effi-  
 citur etiam, definiri a nobis non posse, vtrum, cum prodigium  
 editur, semper Deus ipse sit singulari modo efficax;  
 vel ab initio ita constituerit omnia, et inter se colligauerit,  
 vt natura, sibi relata, a via sua deflebat; vel denique  
 aliae sint mentes, ab humano genere diuersae, maioriisque  
 vi pollentes, quibus Deus hac in re vtatur. Neque opus est,  
 vt hac de re nobis accuratius constet. Neque enim hoc quaer-  
 ritur, quomodo ortus sit quidam euentus, in quo prodigium  
 inesse cernimus: modo manifestum sit, eum, quoniam a le-  
 gibus naturae abhorreat, esse prodigium, nec posse, inuitu  
 Deo, prodigium oriri. — Fuerunt etiam, qui existimarent,  
 cum quoquis miraculo coniunctum esse debere aliud, quod  
 impedit, quominus, quae prodigio exorta sit, mutationum  
 series latius serpat; omnia enim reducenda esse ad pristinam  
 formam; appellant autem tale prodigium *miraculum restitu-  
 tionis*. Videtur ex his, quae hactenus disputauimus, hoc in-  
 telligi, nobis non posse de eo constare, vtrum tale miracu-  
 lum requiratur, cum nesciamus, vtrum series mutationum,  
 quae ex aliquo miraculo pendeat, sit contra consilia diuina,  
 vel pertineat adeo ipsa ad descriptionem mundi, a Deo con-  
 stitutam. — Cum porro prodigia omnia fiant ad demonstran-

D

dam



dam oratorum diuinorum auctoritatem: *Deus, postquam religione aliquam miraculis satis commendauit ac stabilitat, non videtur ob causam aliam, quamcumque demum, a legibus naturae discedere, easque nouis miraculis interrumpere.* Neque enim confirmata iam satis religio nouis prodigiis indigeret; neque excogitari potest alia caussa grauior, quae Deum moueret, ut sempiternas illas naturae leges exceptionibus frequentioribus incertas redderet. Igitur vehementer falli videntur, qui nostris temporibus vel *precibus*, vel aliis rebus, in primis *fiduciae*, in Deo positae, vim aliquam efficiendi prodigia tribuunt. — Manifestum etiam illud est, *prodigia sola satis firmare religionis, cuiuscumque demum, originem diuinam, modo ne laboret fides eorum historica.* Nam cum Deus non possit cuiquam concedere licentiam peruerendi leges naturae, praefertim cum indentata vis erroris apud homines existeret, ut, quid a Deo proficiatur, iudicare satis prorsus non possent: sequitur, ut, quae religio miraculis commendata sit, ea, qualiscumque demum sit, diuinam habeat auctoritatem. Evidem cum Q. Cicerone defendarem diuinationis praestantiam, et ad Deum eam referrem; si vera essent prodigia, quae memorat<sup>a)</sup>, nee prudentior Tullius moneret, contemnendam esse ceterum Attii Nauii; nihil debere esse in philosophia commenticiis fabellis loci. Vnde etiam factum videtur, ut in iis libris, quos Christiani diuinos habent, in eo ponatur summa Dei dignitas,

*quod*

a) *De diuinatione I. I.*

*quod miracula edat*<sup>b)</sup>). Habeatur itaque orator diuinus, quicunque manifesta miracula ediderit; nulla ratione habita doctrinae, quam proponat. Nam cum miracula, praeter Deum, auctorem habere possint nullum: manifestum est, cum, cuius iussu prodigia exoriantur, auctoritate diuina pollere, et, *quid credendum sit, decernere posse.* — Colligitur denique ex iis, quae disputauimus, *ipas exceptions,* quamquam vnicē profiscantur a Deo, interdum tamen posse, si necessitas postulauerit, hominibus quibusdam perniciosas esse; cum interdum frangenda sit miraculis impiorum hominum pertinacia. Sed illa ipsa benignitas Dei, quæ ductus humano generi consilia sua patescit, et vberiorem sui cognitionem largitur, postulat, vt etiam prodigia plurima humani generis salutem augeant, atque etiam sic, quem auctorem habeant, declarent.

Iam exposita natura ea, quam habere debent miracula, sequitur, vt quaeramus, *vtrum reſte dicatur, ad iudicium de miraculis requiri vniuersae naturae cognitionem, nec iudicare quemquam posse, qui euentus sint prodigia, nisi qui hanc rerum vniuersitatem eiusque vires omnes ac leges perspiciat.* Atque illud ipsum, quod in definienda miraculi natura secuti sumus nominis potestatem, quam veteres tenent, vim disputationis aduersariorum vehementer frangit. Dedit enim, vt iam supra monui, his dubitationibus locum

D 2

philo.

<sup>b)</sup> Vid. Exod. XV. 11. Psalm. LXXVII. 15. Bene etiam hunc locum illustravit Farmer pag. 295.



philosophorum nostrorum in definiendo inconstantia. Equidem non video, quid aduersariis respondere possint ii, qui miracula, dicunt, *a singulari quadam et extraordinaria Dei efficacia proficiunt*. Nam de illa efficacia nemini profecto constare potest satis manifeste, nisi ei, qui, quid natura possit, accurate sciat, ac subtiliter intelligat rerum omnium vires; quam scientiam quis tandem sibi arrogauerit, cum tam late pateat natura rerum, ac tot superesse videantur rerum creatarum ordines, quorum ne notionem quidem habeamus? Hanc difficultatem animaduertentes alii, putarunt, ita esse miraculi naturam explicandam, ut prodigia censemant omnia, *quae manifeste superent vim humanam*; quam potestatem cum aliis multi, tum nuperime S.R. LESS vocabulo subiecit <sup>5)</sup>). Sed neque sic videtur satisfieri disputantibus aduersus miracula. Primo enim ne illud quidem satis consecutum est, quid humanae naturae vires possint; sed multae supersunt adhuc animi corporisque humani quasi latebrae quaedam atque recessus, quos nondum satis perquirere potuit physicorum ac philosophorum diligentia. Deinde multa cogitari possunt, vim humanam non superantia illa quidem, sed tamen prodigia habenda. Atque Gyges ille, de quo narratio est apud Platonem <sup>6)</sup>), quoniam, cum palam annuli sui ad palmam conuerteret, videri fingitur potuisse a nemine, ipse vidisse omnia,

<sup>5)</sup> Vid. *Wahrheit der christlichen Religion* pag. 244 et 256.

<sup>6)</sup> *De Republ.* l. II. pag. 592. sq. Ed. Ficin. *Addatur Cicero de Offic.* l. III. cap. 9.

omnia, multa profecto efficere potuisset non excedentia quidem humanam vim, sed in prodigiis nihilominus habenda. Neque enim hoc quaeritur in miraculis, *quanta vis requiratur ad producendam aliquam mutationem*<sup>e)</sup>, sed hoc, *vtrum ea vis in agendo sequatur leges naturae constitutas a Deo, ac vulgo notas.* Vnde etiam in libris sacris memoratur Elisa<sup>f)</sup> aliquod prodigium, qui effecit, ut securis nataret; in quo profecto nihil egit, quod non potuisset vi humana fieri; quis enim negauerit, ab homine posse securim tolli? sed quoniam abhorret a legibus naturae, securim ita tolli, ut aquis innatet, recte putatur prodigium effecisse Elisa. Vnde non satis accurate disputare videntur, qui vim humanam constituunt regulam, ad quam in iudicio de miraculis euentus quisque sit exigendum. Sed missis iis, quae alii de natura miraculorum praeceperunt, videamus iam, quomodo, quae supra possumus, ad hanc caussam possint transferri.

Cum itaque quodus miraculum sit exceptio quaedam legum naturae vulgo notarum: in iudicio de prodigiis non hoc quaeritur, *qua vi efficiantur, vel quanta sit illa vis.* Perinde enim nobis esse potest, quae vis aliquem euentum producat, siue ipsius Dei, siue naturae; modo hoc manifestum sit, euentum ipsum abhorrende a legibus naturae notis. Etenim cum omnis miraculi vis, ut supra ostendimus, vnicernatur in ea discrepantia; talis vero discessus, inuito Deo,

## D 3

minime

e) Conf. Farmer pag. 14. not. d.

f) 2 Reg. VI. 6.



minime fieri possit, ut etiam posuimus supra: quis non videt, ibi miraculum recte sumi, vbi constet, aliquem euentum a notis naturae legibus alienum esse. Atque hoc etiam de iis euentis dici potest, quae, in se spectata, vim humanam minime superant. Cotem discindere, non excedit vires hominum; at si quis nouacula praecideret, quis negaret, in ea re inesse miraculum, et caussam esse hanc, quod hic aduertatur legum naturae notissimarum manifesta violatio. Si haec recte se habent, sequitur, ut vani prorsus sint eorum clamores, qui contendant, iudicare de miraculis posse neminem, nisi qui naturae vires omnes perspiciat. Neque enim opus est, ad vires, quibus miracula edantur, redire in hac caussa; cum de viribus naturae, si verum fateri voluerimus, paene sciamus nihil: sed sufficit nosse, *quid vulgo fiat, et quam normam natura sequatur in omnibus, quae agat.* Atqui de hac omnibus per experientiam satis constat; unde, quoniam ab hac norma discedunt miracula, *omnes iudicare etiam prodigia possunt, quamvis nec vires naturae nouerint, nec definire possint, qua vi euentus quisque fuerit productus.* Cauendum itaque, ne, qui aliquem euentum prodigium esse affirmant, probandum suscipiant hoc, *eum non esse naturae viribus productum;* neque enim cadit in imbecillitatem humanam tanta scientia. Ad efficiendam vero in animo aequi iudicis assensionem sufficit, si liquido possit ostendi, eum prorsus abhorrire ab iis, quae vulgo obseruantur ac fiunt. Si quis, nonnisi verbis quibusdam usus, ingentem vim ran-

rum

rum magnae regioni immittit, vel tempestates et grandinem inducit: edit profecto miracula. Sed ranas producere num superat vires naturae, quam quotannis profundere videmus ingentem earum multitudinem? Nonne quotannis tempestates oriuntur, a viribus naturae profectae? Nonne grandinem perhorrescant agricolae, quoniam vnu docti sciunt, eam a natura digni posse? Igitur non definio, vtrum, si orator quidam diuinus talia effecerit, in ea re fuerit aliqua Dei vis extraordinaria, an naturae quotidiana; hoc me mouet, rem ita contingit, vt ab eo, quod vulgo fit, prorsus abhorreat. Nec vereor, ne posteri, me doctiores, aliquando perspiciant, in his rebus miraculum non fuisse. Etenim cum videam, hic fuisse legum naturae, quae quidem hominum verbis non sollet obtemperare, aliquam exceptionem: credo nec posteros aliter iudicaturos esse, qui sunt profecto eamdem naturam, iisdemque legibus constitutam, habituri. Neque enim unquam *exceptio* fieri potest *regula*; et quo rectius perspiciuntur leges, eo accuratius intelligitur exceptio. Vnde sperare adeo, iure quodam meo, possum, fore, vt posteri, accuratiori rerum naturalium cognitione aucti, clarius adeo videant, quantum fuerit haec in re et similibus multis prodigium.

Cum igitur, vt hactenus docuimus, ad iudicium de miraculis non requiratur hoc, vt *uniuersae naturae vires cognitas* habeamus; cum de viribus, quae aliquem euentum mirabilem produixerint, hic prorsus non quaeratur: si tamen, vt aduersarii volunt, quid sit miraculum, iudicare non possemus,

*causa*

\* \* \*

causa inesse deberet in eo, quod non satis definire possumus,  
quid legibus naturae conueniat, ac propter has leges in  
quavis re debeat euenire. Redit igitur omnis disputatio ad  
hoc, ut ostendamus, nos scire satis posse, quid vulgo sci-  
scant naturae leges, adeoque iudicare etiam, quid ab hac  
naturae veluti consuetudine abhorreat.

Sunt autem mutationum earum, quas euenire videmus  
in natura rerum, tria genera. Primum complectitur eas,  
quae quotidie fiunt, ac tam constanter, ut semper eodem  
prorsus modo accident; veluti solem quotidie occidere;  
anni tempora aquabiliter recurrere; flumina nunquam aquas  
retro ad fontes agere; mortuos non redire in vitam, cet. In  
his haud obscurae esse possunt naturae leges, quas satis ma-  
nifeste docuit multorum seculorum, et hominum omnium  
consentiens vox et experientia. Alterum genus est carum  
mutationum, quae videntur quidem abhorrente a statis na-  
turae legibus, quoniam rarius animaduertuntur; sed ac-  
curatius consideratae, cum iis consentiunt. Ex hoc genere  
fere sunt ea, quae scriptoribus humanis portenta, ostenta, mon-  
stra dicuntur <sup>z)</sup>; ut sanguine vel lapidibus pluisse; aedes, ar-  
borem, locum aliquem fulmine tactum esse; editum esse mon-  
strum; fulsisse stellam crinitam; laborasse lunam, vel solem  
defecisse. Haec et alia multa quamquam rarius eueniunt;

inter-

g) Praeter Liviū, quem supra iam excitauiimus, aliosque scriptores anti-  
quos, etiā Sueronīus passim copiosus est in commemorandis prodigiis;  
vt in vita Iulii cap. 81. in vita Octauii cap. 94. in vita Vespasiani cap.  
5. cet.

interdum etiam caussam habent obscuriorem, tamen propterea  
putanda sunt consentire cum legibus naturae, quod *interdum*  
*eueniunt*; nec potest ea de re hodie inter nos, quibus harum  
rerum caussae manifestiores sunt, quam veteribus, vlla dubi-  
tatio esse. Satis enim constat, ipsam legum naturalium ac-  
curatam confessionem, qualis, vt hoc vtar, est, cum sol vel  
luna deficiunt, saepenumero efficere ea, quae imperitis facile  
videantur ab his legibus aliena. — Ultimum denique muta-  
tionum genus est earum, quae videntur a legibus naturae ab-  
horrere propterea, quod vires naturae quodam hominum  
artificio ita reguntur, vt aliquid oriatur, quod natura,  
sibi relicta, sic non effecisset. Huc pertinent artes eorum,  
qui praefigii quibusdam alios decipiunt, vel vberiori rerum  
naturalium cognitione instructi, his ita vtuntur, vt euentus  
consequantur mirabiles. Haec fuit olim veterum sacerdotum,  
vt apud Aegyptios, peritia. Similibus artibus etiam dediti  
fuerunt, qui Graecis dicebantur Θαυματοποιοι et Θαυματερ-  
γοι, quorum miracula interdum nonnisi in quadam exercita-  
tione corporis ac celeritate posita erant. Eaedem fere apud  
nos sunt circulatorum hominumque circumforaneorum praefigiae,  
quae, quamquam videantur cum legibus naturae  
pugnare, bene tamen cum iis consentiunt. Potest etiam ma-  
chinis iis, quas recentior aetas inuenit, a physicis ita tractari  
natura, vt imperitis prodigia euenire videantur. — Iam si  
liquido potest ostendi, eos euentus, quos miracula diximus,  
et quibus vim inesse censemus ad probandam interpretum diui-

E

norum



norum auctoritatem, satis posse ab his mutationibus omnibus distingui: effectum esse, puto, ad iudicanda miracula non requiri rerum omnium et vniuersae naturae accuratam cognitionem; quea in nos profecto non cadit.

Atque in primo quidem genere res est in promtu. Nam quae mutationes ita eueniunt, vt certam semper et sensibus quasi subiectam legem sequantur: iis iam inde a teneris sensim ita assuescimus, vt vel minimam aberrationem sentiat animus, facilique negotio a reliqua naturae consuetudine distinguat. Qua in re nihil interest inter doctos et imperitos, sed vnum idemque iudicium, idem omnium sensus. Iam si interpres quidam diuinus solis impetum verbis cohiberet, eumque iuberet producere diem: quis esset tam stupidus, quin sentiret, factam esse ingentem mutationem, a statim legibus naturae prorsus alienam? Quod iudicium profecto tam certum esset, quam illa seculorum hominumque omnium conspirans experientia, quae docet, solem quotidie occidere. Sic, vt alio exemplo utar, omne vinum a natura gignitur in vitibus; quem modum tam constanter tenet, vt ab eo nunquam deflectat. Iam si orator diuinus aquam e puteo haustam induere iuberet vini generosioris naturam: num dubitaremus, in ea mutatione inesse aliquam exceptionem, quea inuitu Deo non potuerit contingere? Sed haec tam manifesta sint, vt lecturibus diffidere viderer, si copiosior essent. Hinc effectum est, vt Humius hac ipsa perspicuitate, qua miracula possunt a semper

ter-

❀ + ❀

ternis legibus naturae et euentis vulgaribus distingui, vteretur ad frangendam miraculorum fidem. Nam cum pugnant miracula cum experientia hominum omnium ac seculorum: nunquam, putat, prodigia posse habere aliquam veri speciem, cum cuius testimonio de miraculis repugnet omnium temporum hominumque consentiens experientia <sup>“</sup>). Sic profecto disputare non posset acutissimus philosophus, nisi perspicue a nobis iudicari posset, quid sit perpetuis naturae legibus consentaneum, quidue ab iis abhorreat. Hoc etiam bene vidit Muhammedes; qui, cum intelligeret, homines etiam imperitos facile posse, quid a naturae legibus alienum sit, perspicere, maluit fateri, sibi hoc a Deo non esse mandatum, vt auctoritatem suam miraculis stabiliret <sup>“</sup>); quam suspectis prodigiis exponere se fidentis multitudinis contemtui. De iis itaque miraculis, in quibus inest aberratio a perpetuis naturae legibus et experientia quotidiana, omnes omnino homines satis iudicare posse, certum est.

Veniamus ad alterum genus mutationum, quae obseruantur in hoc mundo; earum scilicet, quae videntur, quo-

E 2

niam

<sup>h)</sup> Videatur Humii liber, qui, conuersus in linguam vernaculaim, inscribitur: *Verfuche über die menschliche Erkenntnis*; part. II. pag. 254. Docte aduersus opiniones Humii disputat S. R. Less in libro aureo: *Wahrheit der christlichen Religion*; pag. 366 sqq.

<sup>i)</sup> Vid. *Sura XXVI. 3. sqq. XIII. 9. XVII. 91. sqq.* Quae vulgo narrantur Muhammedis miracula, iniuste afficta sunt a sectatoribus superstitionis, et ridicula sunt fere omnia.



niam rarius eueniunt, a statis naturae legibus abhorrende,  
etsi, accuratius cognitae, cum iis conueniant. Atque hae,  
quamquam prae se ferunt aliquam miraculorum speciem, vn-  
de etiam eodem nomine a veteribus appellatae sunt; possunt  
tamen a prodigiis, quae supra diximus oratorum diuinorum  
documenta esse, accurate distingui. Etenim primo multa,  
quae ad hoc genus pertinent, habent aliquam regulam, quam  
docuit longior usus; ut lunam soleisque desicere; monstra  
nasci, si mater grauida aliquid mali passa sit, vel oblate spe-  
cie quadam corruptam haberet phantasiam; arbores, aedifi-  
cia, homines de caelo tangi. In his et similibus multis mi-  
raculum inesse nullum, docti sciunt ac subtiliter demonstrant,  
imperitior multitudo sentit et credit. At si quis, auctorita-  
tem sibi conciliaturus hominumque fiduciam, verbis vel pre-  
cibus, ad Deum factis, efficeret, ut ruentia de caelo ful-  
mina victimam aliquam adolerent, vel tempestates cum gran-  
dine coniunctae statim exorirentur, vel exorta tempestas se-  
daretur et conquiesceret: omnes profecto intellicherent, in  
his a consuetudine naturae aberratum esse. Quae vero ex  
hoc genere ordinem modumque certum non habent; ea fa-  
cile possunt a miraculis distingui hoc signo, quod miracula,  
de quibus nunc disputamus, omnia fieri debent, ut supra vi-  
dimus, iussu vel precibus alicuius hominis, qui persuaderi  
alii vult, se esse diuinae voluntatis interpretem. Iam si  
qua sine eo iussu euenirent in rerum natura, quae videren-  
tur minime conuenire cum legibus mundi vulgo notis: ea,  
si vel

si vel maxime non modo imperitae multitudinis, sed doctrinam etiam virorum oculos in se conuerterent, nec explicari a quoquam possent, miracula tamen habenda noui essent. In his enim, si miracula forent, inesset obscura, adeoque vana prorsus et irrita Dei vox, cum interpres non adsit, qui exponat, quid Deus iubeat, vel docere velit. Nec metuendum est, ne forte impostores *ad se trahant* tales euentus mirabiles, atque sic aliquam certe auctoritatem e re prorsus aliena emendicent: horum enim impudentia facile ita conuincitur, vt negetur, pertinere ad ipsos euentum, quem nec praedixerint, nec postulauerint a Deo. Si quis autem prædicat, se effecturum, vt ingens flumen, et ingentis imperii stagna omnia, lacus et fontes non quidem cruenta videantur, sed sint: quis quaeso talem euentum non fecerneret ab eo, si quando lacus vel flumen aliquod ad breue tempus inficitur colore rubro, qui vel ab arenae multitudine, vel a solidis occidentis orientisque luce profiscitur? Accidit interdum, vt, longius deliquium passi, haberentur mortui, sepelirentur, anatomicis traderentur; sed post dies aliquot, præter omnium opinionem, in vitam quasi redirent. At si quis mortuum, iam sepultum per aliquot dies, iam putredine corruptum, in vitam verbo reuocaret; quis negare auderet, se posse talem euentum satis distinguere ab his, quae interdum in hominibus, nondum vere mortuis, natura efficiat? Sequitur itaque, vt miracula satis manifeste ab iis euentis different,

E 3

quæ



quae rarius obseruentur, ac facile videri possint a legibus naturae abhorre.

Restat, vt dicamus de vltimo genere, quo continentur mutationes eae, quae proficiscuntur *ab arte humana*. Atque de iis quidem praestigiis, quibus vulgo solent circulatoris allicere imperitam multitudinem, ac numulis emungere, cum plerumque cernantur in rebus ludicris et vilibus, non opus est, cōpīoē dicere. Ea enim prodigia, de quibus hic loquimur, debent esse Deo digna, et ita comparata, vt ad res graues, necessarias ac salutares humano generi pertineant; vnde neminem, puto, fore, qui neget, miracula manifeste ab his quotidianis praestigiis differre. Nec iudicandi difficultas ineſt in euentis mirabilibus iis, quae producuntur a physicis. Atque hi efficiunt quidem, vt hoc vtar, fulgura; sed facile distinguenda ab iis, quibus Moses Aegyptios terruisse <sup>k)</sup>, Elias missos ad se milites confecisse perhibentur <sup>l)</sup>. Illi quidem machinis vtuntur, et sic aegre fulgura eliciunt atque extundunt; hi verbis effecisse dicuntur ingentes tempestates. Nec potest omnino sine magna supelleſtile et machinationibus operosis a physicis effici quicquam, quod hominum admirationem, rudiorum inprimis, excitet. Ab eo autem, qui miraculis voluerit auctoritatem oratoris diuini sibi conciliare, iam supra monuimus, abesse debere

omnem

<sup>k)</sup> Conf. *Exod.* IX. 13 fqq.

<sup>l)</sup> Vid. 2 *Reg.* I. 10.

omnem molitionem, ferramenta, vectes et machinas; nam cum a Deo missum se dicat, imitari etiam in agendo debet Deum, nec machinis aggredi naturam, sed, quid euenire debeat, *imperare*. Superfunt praestigiae magicae ac theurgicae, quarum saepe apud veteres mentio fit. Fuerunt enim, qui profiterentur, se manes euocare posse, et sciscitari ex ipsis futura. Quae superstitione antiquissima est, et memoratur cum in libris sacris <sup>m)</sup>), cum apud Homerum et alios scriptores anticos saepissime <sup>n)</sup>). Alii vero singulare quoddam cum Deis commercium mentiti, incautos decepere; ut constat, Julianum imperatorem esse a philosophis quibusdam, vel potius impostoribus, in primis Maximo, Ephesio, ad pristinam superstitionem talibus praestigiis reductum <sup>o)</sup>). Sed ab horum etiam fraudibus facile distingui posse vera miracula, manifestum est. Solebant enim, qui vel manes eliciebant, vel theurgicae superstitioni dediti erant, amare noctem, abdiros recessus et cauernas petere, ingenti apparatu iis, quos admittebant, incutere terrorem, quo reprimeretur inspiciendi proprius omnia et explorandi libido; atque omnino iis artibus vti, quae iudicandi potestatem et perquirendi singula prorsus

<sup>m)</sup> Ief. VIII. 19. LXV. 3. 4.

<sup>n)</sup> Vid. quae Chandler disputat in Vita Davidis Cap. XVI. version. vernac. et Farmer breuiter notat pag. 416.

<sup>o)</sup> Vid. quae e scriptoribus antiquis hac de re eruditæ, et, vt solet, eleganter exposuit Hl. Cramer in continuat. histor. Bossuetianæ, part. III. pag. 404. sqq. in primis pag. 413. sqq.

❧ ♫ ♪

prorsus eriperent. Vnde suspecta esse haec arcana, nemo negauerit. Alia omnia occurunt, vt supra docuimus, in miraculis. Omnia fiunt manifeste, in conspectu hominum, vt cuique explorandi et indagandi locus detur. Nec adest apparatus ingens, vel studium aliquod arcendi profanos; sed admittuntur ii ipsi, qui dubitant, vt ipsa rei perspicuitate inoti vel credere incipient, vel tacere cogantur. Ac debent omnino, vt supra vidimus, omnia miracula fieri in rebus manifestis et vulgo notis, quod ipsum obscuritatem omnem excludit, atque efficit, vt etiam ab imperitis intelligi possit, quid sit ab oratore diuino peractum. Cum igitur bene possint ab his mutationibus omnibus distingui miracula, suaque natura ab omniibus differant: manifestum esse puto non modo hoc, ad iudicium de miraculis vniuersitae naturae cognitionem non requiri; verum etiam illud, doctos et rudes, modo velint animum satis attendere, de miraculorum indole iudicare posse.

Sed sicut etiam hoc seculum prodigiorum ferax. Nam quae Parisiis, ad sepulcrum Francisci Parisi, inde ab anno vicesimo septimo seculi nostri accidisse feruntur: ea ita comparata sunt, vt et veri aliquam speciem habeant, et difficultatem effecerint disputationem de miraculis omnem. Vix etiam conquieuit is rumor, qui nuper ad nos venit de prodigiis per Bauarium a Gasnero editis, quae, quicquid contra disputat auctor ipse, si accidissent vere, miracula forent.

Quaeri

Quaeri igitur potest, quid sit de euentis istis iudicandum, si, quae supra disputauimus, ad hanc caussam transferantur. Impedit autem iudicium de his rebus et ambiguum efficit illud, quod testes non adsunt, quibus tuto aliquid tribui possit. Nam illa prodigia Parisiensia et si testem habere videntur satis locupletem, atque edita sunt in ea vrbe, in qua fraudes vix videantur habere potuisse locum: tam explorata tamen non sunt, quin fides eorum vehementer laboret. Eadem difficultate premitur etiam *Gasneri* caussa. Nam qui de rebus gestis famosissimi viri scripsérunt; legi autem multorum libellos ad hanc caussam pertinentes: ii omnes non dicunt testimonium ingenue et ab omni cupiditate alieni, vt solent auctores Novi Testamenti narrare miracula Iesu: sed iudicis induunt personam, manifeste vel odio ducti, vel abrepti studio quodam et reuerentia viri. Omnino autem haec euenta vehementer suspecta esse censco, si comparentur cum placitis iis, quae de miraculis supra posuimus. Nam cum miracula omnia fieri debeant ad firmandam interpretum diuinorum auctoritatem; non video, cur Deus mortuum Parisium tot prodigiis commendaverit, qui consiliorum diuinorum interpres esse non amplius poterat. Gasneri autem prodigia videntur indigna Deo, cum nihil noui docuerit vir ille, sed vulgares opiniones secutus sit. Si vero sumere adeo licet, quodab aliis satis effectum puto, religionem Christianam esse diuinitus humano generi concessam: illa miracula prorsus damnanda videntur. Etenim vanum esset, firmatam satis religionem nouis prodigiis stabilire, cum vis eorum, quae Iesus ipse

F

cum



cum suis edidit, minime exoleuerit quasi vetustate ac perierit. Deinde si vera est Christiana religio, spectanda etiam est horum, qui super miracula edidere, *doctrina*, cum certa norma adsit, ad quam exigi possit. Atqui Parisi placita, quem satis constat fuisse sectatorem Ianuenii, non modo iudicari possunt e libris sacris; ut igitur miraculis in hac caussa non sit opus: verum etiam pugnare videntur cum iis, quae sciscit Christiana religio. Galneri autem opiniones fluxerunt, ut e libellis patet, quos ipse edidit, e locis librorum sacrorum perperam intellectis; est enim inficietissimus interpres, earumque rerum imperitissimus, quarum debet cognitio esse in interprete docto. Quis itaque crediderit, tales opiniones miraculis firmatum iri a Deo, qui prosector inscitiam ac superstitionem vi sua obtrudere hominibus nec vult, nec potest.

Supereft, vt paucis ostendam, *si vel maxime, quid sit miraculum, iudicari a nobis non posset, firmum tamen esse, quod ab iis ducatur pro autoritate hominum diuinitus missorum argumentum.* Quia in re ita versabor, vt omnis disputatio maxime pertineat ad auctorem religionis Christianae, et hoc excm, lo, quod est prosector omnium luculentissimum, doceatur, posse nos, etiamsi prorsus obscura esset miraculorum indoles, iis tamen tuto credere, qui tales euentus produxerint. Ego enim sic existimo, *si vel maxime ne dicimus, quae sit prodigiorum natura, hoc tamen manifestum esse, eos, qui euentus mirabiles efficiant, esse debere reliquis*

quis hominibus periores, maiisque instructos rerum naturalium cognitione, cum ea possint, quorum alii ne caussas quidem perspiciant. Iam si istos euentus eo tempore, et in iis regionibus edant, vbi ad tantam rerum naturalium scientiam nec ingenii sui viribus enti, nec accipere eam ab aliis accidere potuerint: ipse profecto Deus eos adiuuerit, necesse est. Atque ut de auctore Christianae religionis quadam dicamus: quis nescit, eum vixisse eo tempore, quo rerum naturalium cognitio satis manca vel apud eas gentes esset, quae eruditio laude florerent; docuisse apud eum populum, qui istam scientiam prorsus negligenter; litteris operam dedisse nunquam, sed ad annum tricesimum obscuram vitam egisse. Iam cum manifeste ea peregerit, quae nunc, cum rerum naturalium cognitio amplificatur acutissimorum virorum coniunctis studiis, non modo imitatione non attingi, sed ne intelligi quidem e caussis naturalibus possint: equidem non video, a quo vim ac scientiam res tantas efficiendi vel didicerit vel acciperit, nisi sumere velimus, eum fuisse virum diuinum, quem tantis operibus voluerit Deus humano generi commendare. Qua de re qui dubitant, cum etiam doctrinam proposuerit praestantissimam vereque diuinam: ii non modo temere iudicant, ac parum subtiliter; verum etiam animum produnt humano generi, quod Christianae religioni plurimum debet, inimicum.





Na 32.

vd 18

ULB Halle  
005 367 468



3



22

VTRVM

AD IUDICIVM DE MIRAC  
REQVIRATVR VNIVERSAE NATV  
ACCRVATA COGNITIO

# DISPVTATIO PHILOSOPHIC

QVAM

PRAESESIDE

# FRANCISCO VOLK REINHARD

**A.A. MAG. THEOL. BACCAL. ET ORD. PHIL  
ADIVNC TO ORDINAR.**

AD D. XXX. SEPTEMBER. A. C. CLXXXI.

PUBLIC DEFENDER

FRANCISCVS IACOBVS THEOD  
MEYER

L V B E C E N S I S , T H E O L . C V L T O R .

